

DISSERTATIO JURIDICA

DE FIDEI
DOTAE FIDELIÆ
LOCUPLETIS,

REGIA FRIDERICIANA

PRÆSIDI

CAR. GOTTLIEB KNORRIO,

PHILOSOPHIAE DOCTORE BOVINOQUE PROB. PUBL.
EXTRAORD.

Placida eruditorum examini submittit

JOHANNES VICTOR BANDAY,

PROB. PUBL. PHIL. DOCT. ET
PHILOSOPHIAE DOCT. BOVINOQUE PROB. PUBL.
EXTRAORD.



XXIII 5

DISPUTATIO METAPHYSICO - MECHANICA,
DE

1724 24

**NECESSARIO
ET CONTINGENTI
AC LIBERO,**

3

**NOTIONES, AD DIIVDICATIO-
NEM SPINOSISMI ALIORVMQVE
ERRORVM NECESSARIAS,**

EXHIBENS:

QVAM

IN REGIA FRIDERICIANA

PRAESIDE

IOANNE IOACHIMO LANGIO,
MATHEM. PROF. PVBL. ORD.

DIE

IVNII, HVIVS ANNI MDCCXXIV.

PVBLICE DEFENDIT

GODOFREDVS CHRISTOPH. GOESMANN,
WICKEDA - VNNENSIS WESTPHALVS,
PHILOS. ET S. S. THEOL. CVLTOR.

HALAE MAGDEBVRGICAE,

Typis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr.

H. 4. 6.

24

P.
99.
n,
m
Eo
us
ne
ae
en
ta
iis
io-
m
lla
re
n,
u-
m
na
in-
r.
o
i
m
ro
ff-
s,
r
o



DISPUTATIO METAPHYSICO-MECHANICA

NECESSARIO

ET CONTINGENTI

AC LIBERO

NOTIONES AD DIVIDICATIO

NEM SPINOSI ALIORVMQVE

ERRORVM NECESSARIAS

EXHIBENS

IOHANNES JOACHIMUS LANGIUS

IOHANNES JOACHIMUS LANGIUS

MATH. PRINC. ORD.

GODOLFREDVS CHRISTOPH. GOESMANN

PHIL. ET S. THEOL. CANTOR

IN REGIA FRIDERICIANA

H. f. l.



VIRIS

MAGNIFICO, ILLUSTRIBVS, EXCELLENTISSI-
MIS, CONSVLTISSIMIS, AMPLIS-
SIMIS,

INCLYTI

PHILOSOPHORVM ORDINIS

IN CELEBERRIMA FRIDERICIANA,

SPECTABILI

DECANO,

GRAVISSIMO

SENIORI,

ET

RELIQVIS MEMBRIS,
VIRIS

ERVDITIONIS FAMA ET SVMMORVM

IN REM PVBLICAM TVM CIVILEM, TVM LITTERARIAM,

MERITORVM GLORIA CELEBERRIMIS, BONARVM LITTERARVM
CONSERVATORIBVS SOLERTISSIMIS,

*Parronis, Praeceptoribus Studiorumque suorum Promotoribus omni pietatis
cultu ad tumbam usque prosequendis,*

hocce obseruantia suæ deuotique

ANIMI MONVMENTVM

facrum esse iubet

RESPONDENS.

VIRI,

MAGNIFICE,

ILLVSTRES ATQVE EXCELLEN-
TISSIMI,

DECANO,

SENIORI



*Q*uod Maximis Nominibus Vestris, haece pagellas, quae
fas est, animi cultu, inscribere haud dubito, in opti-
mam sane partem accipietis. Annos enim vno
plures ad Vestros Gamalielum pedes confedi vestro-
que ab ore ita pependi, ut iuxta cum aliis Musophi-
lis ad scholas Vestras confluentibus genuine sapientiae praeceptis im-
bui, mihi in maximis fuerit deliciis. Vos vero adeundi atque in-
rationes me circumstantes consulendi, ea mihi facta fuit facultas,
quae mentem meam ut mirabundam atque in Vestra sapientiae pecto-
ra defixam tenuit, ita numquam dimisit, nisi instructiorem. Cibos
eiusmodi ameniore solidioresque in Philosophiae ac Theologiae nexu
sororio largiter captos in succum & sanguinem conuertendos esse
duxi. Locum ergo tantum biennio, studium autem Academicum
minime gentium relinquere mihi mea constantissime sedit sententia.

Cum

RESPONDENS

Cum eo tempore ita exacto ad splendidissimum hoc σοφίας πρυτανῶν
remigrandi intensissimo flagrarem desiderio: me reducem factum
adeo insigni in sinum Vestrum recepistis favore, ut anno etiam post
reditum meum dimidio commilitonibus quibusdam philosophica pre-
legendi facultatem beneuole mihi indulseritis. Fontem, de quo
hauseris, esse coronandum, veteribus iam in prouerbum abiit.
Hausi & ego de Vestro fonte Castalio, hauriam ulterius, Vestrisque
sapientiæ aquis limpide salientibus mea arua irrigabo. De fonte
igitur amplissimo corona cingendo sollicitus primam quamque eius
rei ansam anhelauī. Huc vero usque commodiorem haud fui na-
ctus hac ipsa, qua presentem dissertationem, speciminis Academici
loco publice tuendam in me suscepi atque adeo illam quoque meam
feci. Argumentum quoque, quod illa complectitur, ita est compa-
ratum, ut eiusdem & iudices acerrimi, & defensores optimi esse
possitis, velitis. Res vero facitis, VIRI meliorum litterarum
STATORES & CONSERVATORES solertissimi, munere
Vestro, omnium sanius sentientium iudicio, oppido dignam, quod de
Metaphysica vulgari, seu Ontologia scholasticorum umbratica non
adeo magnifice sentitis. Nihil tamen fecius, tantum abest, ut hoc thema
Metaphysico-Mechanicum eodem loco habeatis, ut potius illud in se spe-
clatum sua & subtilitate & sublimitate Vobis videatur commendabile,
quippe quo carere neuiquam possumus, non modo in studio morali,
verum etiam in omni doctrinarum genere, & quo subuerso non pos-
sit non ruere omnis religio cum naturalis, tum maxime reuelata.
Idque eo magis, postquam subtilioris Spinosisimi pestis latentius & la-
tius serpere cepit, multorumque animos adeo infauste peruasit, ut
eorum pectoribus sese insinuauerit, venis insederit, visceribus inue-
terauerit, aliasque mentes incautas in transuersum raptas eodem
veneno infecerit. Quare his maxime rationibus inductus, Vobis, VIRI
MAXIMI, presens meletema in testatiorem animi deuoti significa-
tionem pie consecrandum putauī. Accipite ergo fronte Vobis con-
sueti qualecumque hocce munusculum chartaceum, mole exiguum,
mentis

*mentis vero deditissime indicem & testem locupletissimum. De ce-
tero, quemadmodum nihil mihi prius nihilque antiquius erit, quam
ut Vestre Benevolentie queam esse commendatissimus; ita & ego,
quoad viuam, operam, studium, mentem denique omnem in eo fi-
gam atque locabo, quo Vestro fauore, ut eius sum indigus, ita quo-
que non plane indignus vmquam deprehendar*

MAXIMORVM
NOMINVM VESTRORVM

Scribebam Hale Magdeb. d. VIII. Iunii
A. O. R. M. D. CC. XXIV.

CULTOR PERPETVVS
ET CLIENS OBSERVANTISSIMVS

GODOFR. CHRISTOPH. GOESMANN.



DISSERTATIO METAPHYSICO-MECHANICA
DE
NECESSARIO ET CON-
TINGENTI AC LIBERO.

NOTIONES GENERALES.

§. I.



Possibilia sunt, quæ esse
possunt, seu quorum existentia non
involuit contradictionem.

§. II. Possibile alia *existunt*, alia
non existunt.

§. III. Possibilia, quæ existunt,
sunt vel *necessaria*, vel *contingentia*.

§. IV. *Necessaria* sunt, quæ ita sunt, vt non possint
non esse, seu quorum non existentia involuit contradi-
ctionem.

§. V. *Contingentia* sunt, quæ ita sunt, vt possint non
esse, seu, quæ ita existunt, vt eorum non existentia non
involuat contradictionem.

A 2

§. VI.

§. VI. *Possibilia*, quæ non existunt, seu *nude possibilia*, sunt entia, actu ipso quidem non existentia, sed quæ tamen esse possunt, sine vlla ad existentiam repugnantia, siue quorum existentia non inuoluit contradictionem. Atque ita *possibilia* sunt entia posita in nuda potentia existendi, siue illa proxima sit, siue remota, siue iam causas habeat ita dispositas, vt produci possint, siue eas nondum habeat, habere tamen possint, sine vlla contradictione.

§. VII. *Impossibilia* sunt, quæ nec sunt, nec esse possunt, seu, quorum existentia contradictionem inuoluit.

CAPVT I.

DE

NECESSARIO EIVSQUE
SPECIEBVS.

MEMBRVM I.

DE

NECESSITATE ABSOLVTA.

§ I.

Necessitas est vel in se, seu *absoluta*, vel ex hypothesi, seu *hypothetica*.

§. II. *Necessitas absoluta* est, qua quid per naturam, siue suam, siue causæ suæ, non potest non esse.

§. III. *Necessitas absoluta* est vel *interna*, seu *independens*, vel *externa*; seu *dependens*.

§. IV. *Necessitas absoluta independens*, quæ & *simpli-*
siter

citer talis dicitur, est, qua quid ab omni causa immune est, & per naturam, seu essentiam suam, quam a se ipso habet, non potest non esse. Quo sensu proprie solus DEVS est ens necessarium.

§. V. Quidquid absolute & independenter est necessarium, illud est æternum. Impossibile enim est, vt illud, quod ab omni causa immune est, & per naturam suam non potest non esse, non sit, aut aliquando non fuerit; ideoque est æternum.

§. VI. Quidquid est æternum, illud absolute & independenter est necessarium. Quidquid enim semper fuit, est & erit, illud non potest ab alio dependere, & necessario est, seu non potest non esse.

§. VII. Quandoquidem æterni & independenter necessarii tanta est connexio; apparet, contradictorium esse; mundum posse æternum esse, & tamen a DEO dependere.

§. VIII. Necessitas *absoluta externa*, seu *dependens* est, qua quid per naturam causæ necessariæ, seu necessario agentis, atque ita propter legem & ordinem naturæ immutabilem, non potest non esse aut agere.

§. IX. Hæc necessitas dependenter absoluta etiam vocatur *physica*, seu *naturæ*, & immutabilitatis, in immutabili causæ physicæ (sibi relicte & a causâ libera non impeditæ) & effectus concatenatione seu nexu, consistens.

§. X. Ab hac physica necessitate parum differt necessitas *mechanica*, qua in rebus mere corporeis omnia pro diuersitate materię, figuræ, structuræ, secundum leges motuum immutabiles eueniunt. Etenim omne id, quod ad motum producendum, continuandum, varie deter-

minandum atque sustinendum, aptum est, dicitur *machina*. E. gr. *vectis & libra*. In his enim ceterisque machinis effectus ex natura machinæ, atque ex relatione mouentis & moti, euenit necessario.

§. XI. Machina in specie *automatum* dicitur, si motum semel excitatum vi structuræ suæ ita continuare potest, vt externo motore non sit opus. Huiusmodi machinas præcipue obseruamus in variis horologiorum speciebus.

§. XII. Si hoc vniuersum, ne genere quidem humano excepto, mera est machina, potentia spirituum ad corpora mouenda, cui horum mechanismus subordinatus est, plane negata; omnes & singuli euentus absoluta eueniunt necessitate. In rebus enim corporeis, in quantum secundum regulas mechanicas agunt & aguntur, mechanica, mere physica & absoluta est necessitas.

§. XIII. Nexus itaque rerum materialium physico-mechanicus & fatum physico-mechanicum ac fatalis necessitas, item Spinosissimus ille partialis, in rerum omnium & euentuum necessaria concatenatione positus, sunt synonyma.

§. XIV. Necessitas hæc absoluta dependens, seu physica & mechanica, vocatur etiam necessitas *consequentis*, scilicet ex antecedente æque necessario, seu qua pro necessario nexu non minus antecedens, quam consequens, est necessarium. Sic. v. g. Arbor vi naturæ suæ sui-que fundi fecundantis non minus necessario in flores se induit, quam fructus fert.

§. XV. Hæc autem necessitas consequentis non desinit esse absoluta & in se immutabilis, etsi a DEO, aliis-

aliisque causis liberis mutari potest & inhiberi. Et quod a DEO, naturæ auctore, pro suprema ipsius in eam potestate, motuum legibus suspensis, aut mutatis, fit, plane extraordinarium est: quo saluo, saluaque eius providentia speciali, cursus naturæ ordinarius est absolutæ seu immutabilis necessitatis.

§. XVI. Cum necessitate absoluta non confundenda est *voluntas absoluta*. Nam causa libera, dum vult aliquid absolute, non definit esse libera, & ea etiam, quæ absolute decernit, libere decernit.

§. XVII. Ad vberiore[m] huius doctrinæ illustrationem facit, si expendamus necessitatem absolutam, eamque dependentem, distingui in necessitatem a *causa efficiente*, a *materia*, a *forma*.

§. XVIII. Necessitas ab *efficiente* & quidem *naturali* est ipsa physica necessitas.

§. XIX. Necessitas a *materia* est, quando data materia necessario etiam dantur eius affectiones, vt: posito corpore, ponitur quantitas.

§. XX. Necessitas a *forma* est in eiusmodi proprio, quod e forma necessario resultat.

§. XXI. Vnde porro alia est necessitas *definitionis*, alia *demonstrationis*.

§. XXII. Necessitas *definitionis*, seu *constitutionis* est, secundum quam partes definitionis definitum necessario constituunt, seu ipsi infunt; vt rationalitas & libera voluntas homini.

§. XXIII. Necessitas *demonstrationis* seu *consecutionis* est, secundum quam propria necessario dicuntur de forma, seu differentia specifica, vt docilitas de rationalitate.

§. XXIV.

§. XXIV. Aliis necessitas *constitutionis* idem est, quod necessitas *existentiæ*; necessitas autem *consecutionis* significat nexum attributorum & operationum cum rei essentia, ad huius existentiam necessario consequentium. Ut vibrationes penduli in horologio semel constituto & ad motum excitato.

MEMBRVM II.

DE
NECESSITATE HYPOTHETICA.

§. I.

Necessitas *hypothetica* est, quando aliquid non dependet a causa necessaria, seu necessario agente, sed e suppositione antecedentis liberi, quod se contingenter habet.

§. II. Quia suppositio hæc contingens est, quoniam antecedens contingenter ponit, necessitas hypothetica etiam vocatur *necessitas consequentiæ*.

§. III. Cum dicitur: *omne quod est, quando est, necesse est esse*; illud intelligitur quoad suppositum actum essendi, seu existendi, non vero ratione causæ antegressæ, cum hæc necessitas non aliam habeat causam præter suppositum nudum existendi actum. Contradictionem enim inuolueret aliquid eo momento dum est aut ita est, non esse, aut ita non esse.

§. IV. Eo itaque momento, quo aliquis ambulat, aut scribit, ex ipsa illa hypothesi ambulationis, aut scriptionis, non potest non ambulare aut scribere. Et hoc sensu necessario ambulat, sed necessitate hypothetica. Quo pertinet illud: *Factum in se factum fieri nequit*.

§. V

§. V. Necessitatis hypotheticæ species præcipuæ sunt respectu DEI illa *præuisionis* & *prædictionis*; respectu hominis illa *precedentis actus liberi* & *intenti finis*: nec non *causæ præternaturalis*.

§. VI. Necessitas hypothetica respectu *diuinæ præuisionis* & *prædictionis* est, quando id euenit, quod DEVS præuidit & prædixit, non vero ideo, quia DEVS præuidit & prædixit, cum præuisio & prædictio supponat obiectum suum, & ab eius suppositione pendeat.

§. VII. Vti enim *scientia* res & actiones in præsentī non ponit, vt causa; sed supponit, extra nexum causarum & effectuum constituta: ita nec *præscientia* res & actiones futuras ponit & vt causa efficit; sed supponit; ideoque præuisio non habet necessitatem absolutam, sed tantum hypotheticam.

§. VIII. Quare secundum hanc necessitatem hypotheticam ita est argumentandum: Quia hoc & istud a causis liberis, vt libere, ita etiam certo & determinate erat futurum & reuera factum est; ideo DEVS omniscientia sua præuidit: non vero vice versa: quia DEVS præuidit, ideo factum est. Præuisio enim logice re præuisa est posterior, eam supponens, non efficiens.

§. IX. Quia DEVS futuras res præuisas ex parte aliqua prædixit, *prædictionis* & *præuisionis* eadem est ratio, ab omni influxu causali sciuncta.

§. X. Illud *futurum*, quod aliquando a causa libera producetur, diuerso respectu est *certo futurum*, & simul tamen *contingens*.

§. XI. Quatenus causa libera ad eiusmodi futurum
B
pro-

producendum se reuera determinabit, illud certo ac determinate futurum est.

§. XII. Quatenus autem caussa libera illud futurum ita efficiet, vt etiam possit non efficere, simul contingens est.

§. XIII. Atque ita recte dicimus, quod a certe & determinate futuro ad absolute necessarium non valeat consequentia.

§. XIV. Iam manifestum est porro, diuinam præscientiam non tollere rerum contingentiam, siue rebus nullam imponere necessitatem. Nam DEI præuisio non est caussa rerum, sed tantum quidam quasi index rerum æternus, qui res necessarias & contingentes, vti sunt, ita obseruat & relinquit.

§. XV. Igitur necessariorum dependentium nihil ideo euenit, quia DEVS præuidit; sed quia futurum erat, ideo scitura DEO, antequam fiat; quemadmodum se habent prædictiones & præuisiones astronomicae; quæ, si phænomena aliter essent euentura, aliter etiam præuiderentur.

§. XVI. Dum autem contingens aliquod supponitur e libertate certo futurum, illud a DEO vi præscientiæ eius itidem non potest non præuideri, etsi sine vilo causali influxu: non secus ac si quis in præsentem aliquem videat scribere, aut ambulare, illum quidem necessario videt scribentem, quia alias scriberet et non scriberet, quod impossibile est: at scribens, aut ambulans, ideo non scribit, aut ambulat, necessario, sed tantum contingenter.

§. XVII. Quandoquidem in hominem non cadit certa futurorum contingentium scientia, sed tantum coniectura sagax & prudens; ad huius rei illustrationem va-

lere

lere potest istud : quemadmodum coniectura hominis non efficit futura ; ita nec præscientia DEI.

§. XVIII. Certe si præscientia, sublata contingentia, rebus futuris necessitatem afferret, DEVS, delicta hominum, quæ detestatur & punit, præuidens, ipse esset delictorum auctor & causa. Quod quia contradictorium & absurdissimum est ; verum est, præuisionem DEI esse quidem certam, sed non tollere contingentiam.

§. XIX. Vel solum hoc argumentum a sententia oppositæ absurdo, imo & blasphemio, ad quod ista per pronissimam & iustam atque necessariam consequentiam deducit, desumptum, satis superque euincit, eam esse ἀλογον & falsissimam. Atque ita opus est nequaquam, ut consequentiæ de euentuum omnium necessitate per præscientiæ diuinæ negationem cum nonnullis occurramus.

§. XX. Quæ eum ita sint, recte omnino scripsit AVGVSTINVS apud JACOBVM MARTINI in Prælectionibus Metaph. L. I. C. 14. Neminem DEVS ad peccandum cogit ; præuidet tamen eos, qui propria voluntate peccabunt. Cur ergo non vindicet iustus, qui fieri non cogit præsciens ? Sicut enim nemo memoria sua cogit facta esse, quæ præteriere : sic DEVS præscientia sua non cogit facienda, quæ futura sunt. Et sicut homo, quæ facit, meminit, nec tamen omnia, quæ meminit, facit : ita DEVS omnia, quorum ipse auctor est, præscit ; nec tamen omnium, quæ præscit DEVS, auctor est. Quorum autem non malus est auctor, iustus est ultor.

§. XXI. Nec est, quod quis excipiat, præuisioni diuinæ iunctum esse decretum voluntatis diuinæ, imo hoc istam saltem ordine naturæ præcedere, atque ita necessi-

B. 20 3 13319 silancion ita

tatem, quæ nudæ præuisioni tribui nequeat, pendere; a præuisione, decreto DEI immutabili iuncta.

§. XXII. Facilis enim est huius nodi solutio ex ipsa genuina de DEO idea. Etenim si ab intellectu entis optimi ac perfectissimi abhorret causalem præstare influxum in necessarium malarum actionum euentum; quidni illud ipsum eo magis abhorreret ab eiusdem voluntate, quo magis huic idea perfectæ sanctitatis competit, & quo minus DEVS suam ipsius naturam negare, & quo minus idem simul esse ac non esse potest.

§. XXIII. Necessitas hypothetica *respectu hominis ex actu antecedenti libero est*, quando antecedens quidem fit contingenter, sed eo, tanquam causa, libere posito, effectus inde necessario sequitur: quo sensu necesse est, scandala & hæreses venire, Matth. XVIII, 7. 1 Cor. XI, 19. quemadmodum necesse est, ignauum manere indoctum.

§. XXIV. Necessitas hypothetica *ex intento fine* respicit media & eorum usum, est que vel *exigentie*, vel *expedientie*.

§. XXV. Necessitas *exigentie* est, qua quid ad finem obtinendum simpliciter requiritur: vt diligentia ad eruditionem.

§. XXVI. Necessitas *expedientie* est, qua quid non tam ad 7^o esse, quam ad 7^o bene esse necessarium est: vt ad eruditionem sufficiens otium & librorum apparatus vberior.

§. XXVII. Necessitas hypothetica causæ præternaturalis est *vel coactionis, vel violentie*.

§. XXVIII. *Coactionis illa necessitas* est, quando natura rationalis præter & contra suam voluntatem a principio

pio violento externo ad aliquid determinatur. E. gr. quando nauta ad euitandum naufragium merces in mare proiicit.

§. XXIX. *Violentiae necessitas a causa præternaturali est,* quando subiectum contra naturam suam ab externa vi patitur. E. gr. quando lapis e supposito iactu sursum fertur.

§. XXX. Ceterum in moralibus adest etiam *necessitas obligationis*, seu debiti officii, quæ est determinatio liberae voluntatis directiua ad bonum & amplectendum & malum fugiendum, secundum voluntatem superioris. Quæ quia coactiua non est, nec coactio in voluntatem liberam cadit, facile liquet, necessitatem obligationis libertati agentis minime obstare.

§. XXXI, Quemadmodum ex dictis constat, *necessitatis absolutæ*, seu *physicæ & mechanicæ*, causa est *potentia naturalis & necessaria*, necessitatis *hypotheticæ potentia libera*. Etenim *potentia naturalis* sibi relicta semper eodem modo agit, nec se aliter ad agendum determinare potest, quam ex ipsius naturæ lege necessario determinata est. *Potentia vero libera* se in agendo indifferenter & indeterminate habet. Atque ita illic est *determinationis vnicitas*, quam vocant, hic *indifferentia*.

CAPVT II.
DE
**CONTINGENTI ET LIBERO
AC SPONTANEO.**

MEMBRVM I.

DE
CONTINGENTI

EIVSQVE SPECIEBVS.

§. I.

Contingens est, quod ita est, vt possit, aut potuerit etiam non esse, seu cuius non existentia, fuit, aut est possibilis.

§. II. Contingentiæ proprie sic dictæ radix est *libertas* in causis agendi liberis, DEO & spiritibus, h. e. angelis & animabus humanis. Quas causas re vera existere & liberas esse, iam inter data refero & suppono.

§. III. Sic mundus existit contingenter, quia a DEO libere fuit conditus, & contingenter fiunt, quæcunque ab hominibus libere fiunt. Vnde contingentiæ hæc vocantur *voluntaria, libera, arbitraria*.

§. IV. Quia animalia bruta aliter se habent, quam vegetabilia & alia vita carentia, & aliquod animæ humanæ analogon possident; ideo nec meræ sunt machinæ, seu causæ mere mechanicæ, nec causæ liberæ; sed sunt substantiæ inter liberas & mere mechanicas mediæ, & eiusmodi naturæ, quæ nobis per effectus ex parte aliqua tantum cognita est.

§. V. Est vero contingentiæ vel *existentiæ*, vel *coheræ-*
sonis.

§. VI.

§. VI. *Contingentia existentie seu incomplexa* est, qua quid ita est, seu existit, vt possit etiam non esse, seu non existere.

§. VII. Hæc *contingentia* est vel *generalis*, vel *specialis*.

§. VIII. *Contingentia generalis* est, qua quid ita est, vt per causam supernaturalem, DEVM, etiam potuerit, aut possit aliter existere: qualis *contingentia* in omnes res creatas cadit.

§. IX. *Contingentia specialis* est, qua quid ita est, vt per causam specialem & secundam potuerit, aut possit aliter esse.

§. X. *Contingentia cohesionis* est, qua quid alteri est contingens, seu cum eo ita cohæret, vt possit etiam non cohærere.

§. XI. Hæc *contingentia cohesionis* est vel *affectionis*, vel *operationis*.

§. XII. *Contingentia affectionis* est, qua quid alterum tantum ita afficit, vt possit etiam non afficere. Sic homo dicitur pauper, diues, doctus, indoctus, probus, improbus; paries albus, &c.

§. XIII. *Contingentia operationis* est, qua causa libera, libere & contingenter agit; vt homo, quando loquitur, scribit, ambulat.

§. XIV. Ens, quod contingenter existit, si liberum non est, potest contingenter existentiam non libere, nec contingenter, sed necessario agit, prout fert necessitas eius nature, vel structure mechanicæ.

§. XII. Hinc *contingentia existentie non confundenda est cum contingentia operationis*, seu ab illa ad hanc non valet consequentia: siquidem in operatione causarum non libera-

berarum non est contingentia operationis, sed necessitas consecutionis.

§. XVI. Sic arbores primum contingenter existunt, sed, post eam existentia contingentiam, ea, quæ in ipsis naturaliter eueniunt, eueniunt non contingenter, sed necessario necessitate naturæ. Sic etiam horologium, ratione existentia, seu constitutionis, quæ a causa libera dependet, est contingens; at respectu operationum suarum, quæ ex constitutione necessario secundum leges mechanicas consequuntur, est necessarium.

§. XVII. Unde liquet *necessitatem & contingentiam non nisi e causis proximis estimari.*

§. XVIII. *Futuram contingens* in oppositione ad necessarium & impossibile, seu *proprie sic dictum*, denotat illud futurum, quod non habet connexionem necessariam cum causa sua, ideoque, quando fit, non fit necessario, sed prouenit a causa libera, quæ, positis omnibus ad agendum requisitis & iisdem manentibus, potest agere & non agere, agere hoc aut illud, sic & aliter.

§. XIX. Alias contingens improprie & late sumtum idem est, quod *eueniens*, notatque omne possibile: & sic etiam de necessario dicitur; sed sensu minus philosophico. Cui acceptioni vocis minus propriae ansam dedit ignorantia causarum, a quibus aliquid dependet. Non raro id etiam dicitur contingens, quod fit præter agentis intentionem, & vulgo calu fieri dicitur.

§. XX. Ceterum quia in hoc vniuerso, præter res mere materiales & necessario agentes, etiam liberae dantur, harum respectu ad *possibilia* huius vniuersi non tantum ea pertinent, quæ actu facta sunt, sicut & futura sunt: sed

ea etiam, quæ nec facta sunt, nec fiunt aut futura sunt, pro libertate tamen causæ suæ fieri potuerunt, possunt aut poterunt, atque ita esse potuerunt in numero contingentium; & quidem non in *aliis tantum mundis*, qui a nonnullis finguntur, sed & in hoc, *unico mundo*.

MEMBRUM II.

DE
LIBERO ET SPONTANEO.

§. I.

Libertas, quæ e contingentia consideratione resultat, ea est *spiritus* facultas, qua is se sine necessitate interna, & coactione externa, positus omnibus ad agendum requisitis ad hunc, vel istum, actum, agendique modum, determinat, vel non determinat.

§. II. Radix quasi, seu principium, libertatis est *voluntas*; at norma directrix est *ratio*. Hinc *voluntatem* proprie vocamus *liberam*. Vt vero voluntas libertate sua recte & bene vtatur, ei inferuit intellectus, quo anima ad fines suos respicit, & secundum eosdem agit, causis ad agendum impellentibus mota.

§. III. Quamvis in homine proprie & formaliter tantum libera sit *voluntas*; tamen etiam per participationem omnino liber est *intellectus*, & in eo *potentia* ratiocinandi, seu varie cogitandi & meditandi, actiua. Ea enim animæ est vnitas & simplicitas, vt intellectus voluntatis libertatem etiam suam faciat, & sic libere agit, potentiam cogitandi actiuam libere exserens.

§. IV. Neque huic potentia intellectus libera & acti-

C

actiua obstat potentia eius passiva & necessaria, cum in eiusmodi ideis, quæ ex aliis per se & iustam consequentiam, vel ipsa voluntate inuita, resultant, tum in sensationibus rerum, quæ organis sensuum expositæ sunt. Valet igitur etiam hic tritum illud: *vnus positio non est alterius exclusio.*

§. V. Præterea animæ humanæ, tanquam causæ liberæ, generatim cum speciali tamen respectu ad voluntatem, competit potentia libera mouendi regendique corpus & eius membra, speciatim loquendi & non loquendi, sic & aliter loquendi, item appetitum sensitivum, qui certo respectu etiam passiuus est, dirigendi & determinandi. Id quod cum ipsa animæ libertate ita se habere, iam non demonstro, sed e communi & vniuersali saniorum philosophorum omnium systemate, tanquam datum, iam suppono.

§. VI. Atque ita corpus humanum etsi *mechanice* constructum est, & structuræ huic *mechanicæ* conuenienter mouetur, ita vt homo, pro nutu liberæ voluntatis, ambulare quidem possit, volare autem, *mechanismo* corporis & sine hominis repugnante, nequeat; non tamen *mera* est *machina*. Ab hac enim nullus exferitur motus, nisi qui ab alio antecedente motu, & hic rursus ab alio, regressu hic ad primum motorem nobis ostenso, dependeat.

§. VII. Non solum vero postulant leges *mechanicæ*, vt motus ab alio oriatur, sed etiam vt motus præcedens ad producendum sequentem iustam habeat proportionem. Quæ vero hic, quando corpus humanum post quietem illico mouetur, & quidem vti diutius,
ita

ita etiam vehementius; quæ, inquam, hic datur proportio inter motum eius antecedentem, qui plane insensibilis, & fere nullus est respectu consequentis, & ipsum consequentem? Certe nulla, nec explicita, nec implicita. Vnde manifestum est motus corporis non esse mere mechanicos, nec corpus meram machinam & automatam; sed motus eius a causa libera dependere.

§. VIII. Sit corpus humanum machina, non tamen est mera machina. Habeat motus mere naturales atque mechanicos, uti sunt illi concoctionis & nutritionis: habet tamen alios motus, qui ab imperio animæ libero dependent, qui, (uti ipsæ actiones motibus istis peractæ), ideo recte & merito liberi, voluntarii, arbitrarii vocantur; ut de mixtis nihil nunc dicam.

§. IX. Libertas autem voluntatis considerari potest, quatenus immunis hæc est tum a *necessitate interna*, tum a *violentia externa*, vel etiam in moralibus ab *obligatione*, seu officio.

§. X. Libertas a *necessitate interna* consistit in indifferentia ad velle & nolle, agere & non agere, secundum quam in ipsa anima nulla talis adest ad vnum determinatio, ut illud non possit omitti, & loco eius aliud quid eligi.

§. XI. Libertas a *coactione*, vel *violentia externa*, consistit in eo, quod voluntas determinationis suæ ipsa ita auctor est, ut nulla vis externa ad hanc concurrere queat.

§. XII. Libertas ab *obligatione* & officio est immunitas moralis a norma, seu regula agendi, a superiore

præscripta. Qualis proprie est folius DEI. Quamuis enim nonnulli imperantium a legibus positivis sint immunes; tamen tenentur ipso iure naturæ, obligationis & officii necessitatem ipsis imponente.

§. XIII. Libertas autem secundum notionem primariam considerata est vel *contradictionis*, vel *contrarietatis*, vel *modi*.

§. XIV. Libertas *contradictionis* est facultas animæ se ipsam ad actionem, aut non actionem, seu intermissionem, determinandi, quæ etiam vocatur libertas *exercitii*.

§. XV. Libertas *contrarietatis* est, qua voluntas ex pluribus actibus specie diuersis & contrariis unum eligere potest. Hæc etiam vocatur libertas *specificationis*.

§. XVI. Libertas *modi* se exerit in electione unius modi, si eadem actio sic & aliter potest peragi.

§. XVII. Indifferentiam voluntatis non tollit *rationum* mouentium *consideratio*. Hæc enim inclinant tantum *moraliter*, non cogunt physice *necessitate interna*. Sin minus anima non esset, quod ex omnium saniorum philosophorum mente est, causa libera, sed necessaria.

§. XVIII. Quia ratio ad actionem impellens voluntatem tantum inclinatur moraliter, principium rationis *sufficientis* morale in causis liberis non confundendum est cum principio rationis *determinantis*, seu necessitantis, physico & mechanico. Quæ confusio Leibniziano systemati propria est, e materialismo eiusdem mechanico resultans & indifferentiæ voluntatis liberæ aduersa.

§. XIX.

§. XIX. Propter hanc indifferentiam suam libera voluntas non potest comparari cum *automato* & cum *libra*. Neutrum enim libertate est præditum, vt cum contingentia libera operationis se possit determinare & regiminis sui causa esse: sed vtrumque est ens mere corporeum, & agitur necessitate mechanica & in suo genere absoluta. Contradictio itaque est esse *liberum* & esse *machinam*, speciatim libram & automatum, seu vtrique similem.

§. XX. Nec tollitur, sed augetur potius, contradictio, si cum LEIBNITIO dixeris, animam esse *automatum spirituale*, siquidem notio *spiritus liberi* notionem *automati* maxime euertit. Et quamuis in cogitationum ac volitionum, & quarundam perceptionum, serie sit aliquod consecutionis, automatis propria, & nexus inter causam est effectum necessarii, analogon: non tamen in ea est perpetua & necessaria consecutio. Non *perpetua*, quia eam tam obiecta externa, quam libera voluntas determinatione sua sæpius interrumpit. Nec *necessaria* necessitate nature, sed tantum hypothetica, quoad potentiam actiuam a libera voluntatis decreto pendens.

§. XXI. Et ad similitudinem *libre* quod attinet, aliud est, voluntatem cum libra in certo analogiæ membro comparare; aliud comparationem ad ipsum libertatis præiudicium extendere. Nam anima in rationum æquilibrio constituta, & in neutram partem ab istis moraliter per modum consilii & suasionis determinata, pro libertate sua se in alterutram potest deter-

minare; quemadmodum se in illam quoque, quæ leuioris & fere nullius est ponderis, inclinare potest & sæpe inclinare solet, arbitri sui libertate abusa.

§. XXII. Iam si anima nec *libra*, necessario a ponderibus actæ, nec *automati*, necessario se ipsum mouentis, proprietates habet, status eius præsens a præcedenti non semper, nec ita pendet, vt motus alius ab alio secundum leges automati mechanicas. Sæpe enim pro libera eius voluntate incipit status nouus præcedenti non conueniens, sed directe repugnans. Atque ita, vti *spiritus* & *machina* toto genere penitus differunt; ita etiam pro hac naturæ suæ diuersitate diuersas, immo contrarias, habent proprietates ac leges. Quas qui confundit, plus efficit confusionis, quam si circulum pro trigono venditet.

§. XXIII. Tam arctum inter *contingentiam* & *libertatem* intercedit vinculum, vt posita aut negata libertate ponatur aut negetur contingentia; & posita aut negata contingentia ponatur aut negetur libertas.

§. XXIV. *Libertas* vero & *contingentia* vti non tollunt *necessitatem hypotheticam*, sic multo minus obstant *necessitati obligationis*, debiti officii & *normæ*.

§. XXV. A *libertate* autem omnino differt *spontaneitas*, quoniam omne liberum quidem simul est spontaneum, non aliunde, sed ex se ipso actum; non vero omne spontaneum est liberum: siquidem *spontaneitas* a libertate seiuncta tantum causarum physicarum & automatorum est, & singulari plane modo, a proprietate causarum physicarum & automatorum diuerso, brutis etiam conuenit.

§. XXVI.

§. XXVI. Vſurpatur quidem vox *ſponte & ſpontaneitas* interdum pro libero & libertate, vt ꝑo *ſpontaneum* idem ſit ac *liberum*, ac facere aliquid *ſua ſponte* idem ac *libere*: at hæc ſignificatio potius in ſcriptis philologorum, voce iſta in latiori ſenſu vtentium, quam philoſophorum reperitur. Nam his *automata* dicuntur ſua ſponte, vi elaterum, rotarum ac ponderum, ſine motore externo moueri; quemadmodum iisdem etiam arbor ſua ſponte germinare, florere & fructus ferrè dicitur.

§. XXVII. Quare, qui voce libertatis vtuntur quidem frequentius in ſermone de cauſſis liberis; at non niſi in eo ſenſu, qui automatis & cauſſis non liberis, ſeu mere phyſicis, proprius eſt; illi pro libertate ipſam abſolutam neceſſitatem inſidioſe inſinuant. Et hoc nihil aliud eſt, quam abuſu phyſicæ ac mechanicæ totam pneumaticam peruertere, cauſſis liberis fati mechanicum iugo ſubiectis.

§. XXVIII. Quicumque genus humanum ita ad vniuerſi huius machinam refert, vt, quod *rota eſt in horologio*, id ſit *genus humanum & homo* quilibet in *vniuerſo*, is inſinuat Spinoſiſimum illum partialem, qui in phyſico-mechanica rerum omnium neceſſitate poſitus eſt, materialistarum ſyſtemate in errorem actus. Et qui nihilominus ex parte animæ omnia refert ad *neceſſarium idearum nexum*, is, idealistarum ſyſtemate deceptus, quadrata iungit rotundis, & ſyſtema ſuum ipſe deſtruit.


§. XXIX.

§. XXIX. Qui, hominibus in meras machinas, aut duplex automatum, unum materiale, alterum spirituale, conuersis, generi humano contingentiam veri nominis & libertatem proprie dictam abiudicat, is moralitatem omnem cum ipsa religione subuertit, si non cum intentione, tamen ipso effectu.

§. XXX. Qui sub specioso nomine *libertatis* & *contingentiae mechanicam* rerum omnium *necessitatem* docet, in hoc a Spinoza non aliter differt quam insidiator ab aperto hoste.

F I N I S.





ULB Halle

003 137 83X

3



86







DISPUTATIO METAPHYSICO - MECHANICA,
DE

NECESSARIO
ET CONTINGENTI

AC LIBERO,
NOTIONES, AD DIIVDICATIO-
NEM SPINOSISMI ALIORVMQVE
ERRORVM NECESSARIAS,

EXHIBENS:

QVAM
IN REGIA FRIDERICIANA
PRAESIDE

IOANNE IOACHIMO LANGIO,
MATHEM. PROF. PVBL. ORD.

DIE IVNII, HVIVS ANNI MDCCXXIV.

PVBLICE DEFENDIT

GODOFREDVS CHRISTOPH. GOESMANN,
WICKEDA - VNNENSIS WESTPHALVS,
PHILOS. ET S. S. THEOL. CVLTOR.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
Typis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr.

XXIII S.

1724 24

3

H. 7. 6.

24

